

Lib. XXIII. Tit. I.
De Sponsalibus.

§. 1. *Sponsalia* sunt Promissio mutua de præstando consensu conjugali.
Cujus not. 1. *Subiectum*, 2. *Forma*, 3. *Species*, 4. *Effectus*, 5. *Accidens*, 6. *Differentia*.

§. 2. (1) *Subiectum re & correlativum*, sunt Personæ quæ nuptias contrahere possunt, imò etiam impuberes majores VII. annis.

§. 3. (2) *Forma* est

vel magis *interna*, nempe Consensus, etiam nudus (sine arrhâ, sponsalitiis, scripturâ) etiam inter absentes per epistolam, internuncium,

modò consentiant etiam in quorum potestate sunt.

§. 4. vel magis *externa*. Contrahuntur

1. *pure*,

2. *Conditione*, quæ est

vel *Possibilis*, s. potestativa s. casualis, s. mixta: quæ exstante Sponsalia demum valent.

Copula carnalis arguit eos à conditione recessisse.

Si Adjiens conditionem remittere velit, tenetur alter pure, quatenus Conditioni consensit;

sin rem in pendentem relinquit, non tenetur.

vel *Impossibilis*

vel *naturaliter*: & non valent Sponsalia.

vel *moraliter* h.e. *Turpis*: & non valent.

Aliqui putant favore matrimonii

Conditiones has haberi pro non adjectis;

nisi ipsam substantiam ejus concernant.